

oritur qvaestio, inspiciunt pulmones infantum enecatorum, et, si eosdem rubicundos, crassos, densos et compactiores deprehendunt, eosdem in aquam projiciunt, et, si submerguntur, pronuntiant foetum non fuisse interfectum, sed in utero demortuum, qvod enim in aere libero non vixerit, defectus respirationis, quem ex pulmonibus adhuc crassis, ponderosis et nondum explicatis, ac in aqua fundum potentibus conjiciunt, satis idoneum videtur esse documentum. Qvodsī vero foetus secundinis suis adhuc inclusus, exclusus fuerit ex utero, et aliquandiu absqve respiratione vixerit et tum demum enecatus fuerit; si etiam a secundinis liberatus, post partum per aliquot temporis intervallum, uti saepius evenire scimus, quasi demortuus videatur, (cum tamen revera vivat, uti ex ejusdem restitutione apparet,) et tunc suffocetur; vel prodiens ab aqua simul prorumpentibus, vel ob muci viscidi in pulmonibus collectionem, ipsumqve partum difficilem respiratione privetur; vel a funiculi umbilicalis circa collum contorsione strangleatur, in his dubiis qvaestionibus aliae etiam circumstantiae sunt respicienda, de qvibus hic agere instituti nostri ratio non permittit,

## EXPERIMENTVM V.

**P**ulmones si accipimus recentes ex infantibus recenter natis, atqve horum alios in aëre suspendimus, alios terrae mandamus, alios aquae credimus, qvousqve foetorem ac putredinem contrahant insignem, tunc experimur hos pulmones, aeqve ac ante has operationes contingebat, aqua innatare.

D

EX-